



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Responsio Ad Accusationes Quibus De Mala Doctrina  
Accusatur Apud S. Sedem Florentius De Cocq Ecclesiæ S.  
Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstrat. ... In Libello, Cui  
Titulus: Propositiones per Belgium ...**

**Cocq, Florentius de**

**Lovanii, 1693**

Animadversio Ad Dictam Propositionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40343**



(7)  
pœnitentiâ, ita scribit. Reverâ docet nos CERTA FIDES, non nisi novo gratiæ Dei auxilio ullam tentationem nos posse vincere, aut ullum bonum opus efficere.

### ANIMADVERSIO AD DICTAM PROPOSITIONEM.

**V**idetur damnari per 30. Baii: non soli fures ii sunt & latrones, qui Christum Viam & Ostium Veritatis, & Vitæ negant, sed etiam qui . . . . docent . . . . tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjuto resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.

### R E S P O N S I O.

**O**bjectionem illam mihi met ipsi loco citato proposui, & respondi idem, quod scribit Pater Turrianus è Soc. Jesu opusc. 15. cap. 3. §. 1. ubi ait: Notandum id, quod notavit Pater Vasquez, nempe Illustrissimum Bellarminum fuisse Lovanii eo tempore, quo prædicta Bulla promulgata fuit. Et tamen ipse docuit (Lib. 5. de Grat. & Libero Arb. c. 7.) Nullam tentationem posse vinci sine gratiâ: quod non diceret, si propositio illa 30. damnaret suam opinionem: In alio ergo sensu damnatus est Bajus. Item cum Bellarminus doceat, posse viribus naturæ fieri aliquod opus bonum, tamen non utitur auctoritate prædictæ Bullæ: quod tamen faceret, si agnosceret sibi favere. Præterea ut testatur P. Vasquez loco citato (in 1. 2. Disp. 190. cap. 18. n. 179) Cardinalis Toletus sentiebat, nullam tentationem posse vinci, aut vitari sine gratiâ. Et tamen ipse auctoritate Pontificis Gregorii XIII. missus est ad illam Bullam promulgandam, & componendas lites Lovanii exortas circa illas Propositiones Baii.

Lubet audire ipsum P. Vasquez loco citato, qui objectâ sibi hac propositione, Non solum fures hi sunt, & latrones &c. responderet eam minime obesse dictæ opinioni nostræ accusatæ, eo quod eandem doceat Bellarminus: At ille (inquit) rectè noverat prædictam damnationem, imo & occasionem illius, nam & ipse Lovanii fuit eo tempore, quo contentiones inter Doctores exortæ fuerunt; & Romæ, cum prædicta Bulla edita & confirmata fuit; nihilominus, neque contra opinionem, quam docet de victoriâ tentationum, quidquam ex hac Bullâ sibi objicit; neque, cum docet posse fieri aliquod bonum opus ex propriis viribus sine auxilio gratiæ, auctoritate hujus Bullæ id confirmat: sciebat enim optimè, eam ad hoc nihil roboris habere; cum tamen hujus meminerit, & aliquas Propositiones in illâ damnatas adduxerit. Adde

Fran: